



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Catalogus Episcoporum Hildesiensium**

**Letzner, Johannes**

**Hildesheim, [ca. 1690]**

XXXIII. Siffridus II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](#)

• 30 ( 2 ) 30 •

**Consecratus Episcopus** Lugduni in **Concilio' 500.**  
**Episcoporum.** Ecclesiam ædificiis, decimis, piscatū-  
ris, silvis, castris, plurimisque bonis vi maximā pe-  
cuniæ coëmptis vel redemptis locupletavit. Ex  
vitæ hujus ærumnis ad æternam felicitatem tran-  
fiit Anno 1279. Episcopatus decimo, & in Cathedrali  
quietis locum invénit.

**XXXIII. SIFFRIDUS II.** Comes de  
Querfurdt ex Decano Magdeburgensi omnium vo-  
tis denominatus Præsul Hildesiensis. Vir fuit pie-  
tate, scientiâ, heroicâ animi magnitudine, aliarum-  
que virtutum splendore, quam sanguine illustrior.  
A Wernerô Moguntino. Archi-Episcopo conse-  
cratus. Sarstede, aliâque loca bellis vastata instau-  
ravit; oppidum Gronaw inchoavit: varia bella  
cum Principibus vicinis vario marte gessit. In  
territorio Bockla arcem Lewenbürg construxit, ar-  
cem Ruthæ firmis operibus vallavit: arcem Calen-  
bergensem ab Ottone Duce Lunæburgensi muniri  
cœptam dejecit: castrum Westerhoven cum co-  
mitatu suo, uti & castrum Hundesrüggianum cum  
oppido Dasle Ecclesiæ comparavit: Templum Ma-  
riæ Magdalena; vulgo Cartallum extruxit. Redi-  
tus Ecclesiæ S. Andreæ auxit. Inter varias bellorum  
turbas eximiâ semper in Deum pietate eluxit: nam  
missæ sacrificio indies intererat, mediâ nocte ma-  
tutinum, reliquimque per diem officium cum Cle-  
ro dœcantabat: omne à negotiis vacuum tempus  
sacrarum literarum commentationi, asceticorūmque  
librorum lectioni impendebat: magno divini amo-  
ris æstu, piusque lacrymis vultum irrigantibus pon-  
tificialia

tificalia munia obibat, parœcias & Monasteria ipse visitabat, corrigebat, reformabat, omnium virtutum vivum spiransque exemplum. Post 30 annorum gubernationem felicem, licet infelici tempore, 27. Aprilis Anno 1310. vivere desit, in Cathedrali sub corona majore sepultus : Princeps belli, pacisque tempore præstantissimus.

**X X X I V . H E N R I C U S II.** Ex antiquissima & illustrissima Familia Comitum de Woldenberg, candore, modestâ indole, ingenio placido, aliisque virtutibus è Decanali dignitate ad Episcopalem concendere meruit Anno 1310. Multa passus, belloque impetus arcem Steurgewaldt contra violentiam construxit. Comitatûs Dasselensis, Comite defuncto, possessionem adiit Anno 1312. Henrico VIII. Imperatore consentiente. Oppidum Bockenem à Comite de Woldenberg emptum Diœcesi addidit. Extinctâ Familiâ Comitum de Poppenburg à Poppone ex Suevia oriundo nomen trahente, eorum bona Diœcesi adjunxit; partim ab Henrico III. Imperatore donata, partim empta. Avenionem ad Pontificem profectus, ibidem febri correptus, extinctusque est, post annos octo in Episcopatu castissime integerrimeque traductos. Anno 1318. 13. Julij in Monasterio S. Claræ honorifice sepultus.

**X X X V . O T T O II.** Licet ultimus esset hæres Illustrissimæ Familiae Comitum de Woldenberg, spretis tamen seculi deliciis, in statu Clericali Deo famulari maluit. Præpositus cum esset in Monte S. Mauritij, agapen sive auream charitatem fundavit, eâ intentione, ut si forte in Ecclesia majore cultus